

apostolica scripta mandamus quatinus si prefati homines mandatum non curauerint adimplere. tu eos ad id monicione premissa per censuram ecclesiasticam appellacione remota compellas. Datum anagnie quarto non. nouembris pontificatus nostri anno sexto.

271.

1232 d. 2 Nov.

Anagni.

Påfv. GREGORIUS IX:s Bref till samtliga invånarne i Linköpings Stift angående tiondens noggranna utgörande till kyrkorna.

B. 3: 23.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis vniuersis hominibus dyocesis lincopensis salutem & apostolicam benedictionem. Venerabili fratre nostro lincopensi episcopo accepimus conquerente quod uos minime attendentes quod dominus vniuersorum in signum vniuersalis domini sibi decimas reseruauit eas ecclesiis quibus debentur soluere pro vestre voluntatis libito denegatis. Cum igitur predictas decimas retinere non sine animarum vestrarum periculo valeatis ad quas soluendas ecclesiarum ministris tenetur fidelis quilibet veritate iubente. vniuersitatem uestram rogandam duximus attentius et amonendam per apostolica scripta uobis mandantes quatinus decimas ecclesiis quibus debentur integre persoluatis alioquin eidem episcopo per litteras nostras iniungimus ut uos ad id per censuram ecclesiasticam appellacione remota compellat. Datum anagnie IIII:to Non. nouembris Pontificatus nostri anno sexto.

272.

1232 d. 2 Nov.

Anagni.

Påfv. GREGORIUS IX:s Skrifvelse till så väl det högre som lägre Presterskapet inom Linköpings Stift, med uppmaning att på allt sätt understödja och befordra den under hand varande Domkyrkybyggnad, hvar till medel tröto.

B. 3: 24.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis vniuersis ecclesiarum prelati & clericis aliis per lincopensem dyocesi constitutis salutem & apostolicam benedictionem Venerabilis frater . . lincopensis episcopus nobis humiliter supplicauit vt cum ipse de opere sumptuoso & nobili edificare inceperit ecclesiam lincopensem & ad hoc proprie sibi non suppetant facultates ad prestandum eidem. pro consumacione tanti operis gratum subsidium uos excitare nostris precibus & litteris dignaremur. vt igitur exhibitum matri subsidium per elemosine fructum filios exoneret a peccatis vniuersitatem